



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Forma alia secunda instituendi Vicarium generale[m], in tota prouincia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

periculosa, & grauius impedimenta, quæ in prædicto negotio vobis emerferint, dilecto filio nostro I. sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono Cardinali, quem eidem præfecimus negotio, significare curetis. Super alijs vero impedimentis quibuslibet, quæ siue ex defectu sociorum, siue alias ex quacunque causa vobis in ipso negotio emergere fortè contigerit, & personaliter si opus fuerit ad Cardinalem recurratis eundem, & per litteras vestras seu nuntios securè ipsi Cardinali omnia intimare curetis: vt nos per eum sufficienter super præmissis instructi, contra impedimenta huiusmodi prouideamus de remedijs opportunis, hæc ibi.

Forma alia secunda instituendi Vicarium generalem in tota prouincia.

Rater N. ordinis, &c. Venerabili, & nobis in Christo dilecto patri fratri tali, talis ordinis, sacre Theologie magistro. Vel sic: Honorabili domino prouido, & discreto tali, decretorum doctore, canonico in tali Ecclesia cathedrali: Salutem in auctore, & conseruatore: &c.

INTER Alia honesta obsequia atq; sancta, quæ grata existunt plurimum altissimo creatori prout testimonijs veridicis comprobatur, est animarum zelus, peccatorum salus, fidei orthodoxæ augmentum, prauitatis hæreticæ exterminium: ac pro fidei catholice, & orthodoxæ defensione nocte, & die continuè insudare. hinc est quod nos frater N. Inquisitor præfatus, cui ex iniuncto nobis officio a Sanctissimo domino nostro Papa peragere hæc incùbuit, non valentes huiusmodi incùbere, seu intendere de præsentibus, cum habeamus ad Romanam curiam accedere, pro quibusdam ibi negotijs sanctæ fidei exequendis: Vos venerabilem patrem, seu dominum antefatum, de cuius fidei integritate, vitæ puritate, disciplinæ sufficientia, morû modestia, atq; in cunctis agendis prudentia circumspècta, synceram in Domino fidem gerimus, & probatam, Vicariû nostrum, & commissarium, in omnibus, & singulis ciuitatibus, territorijs, atque locis iurisdictioni nostre subiectis, tenore præsentium instituimus generalem; committentes vobis, quatenus auctoritate nostra, immo verius Apostolica, in omnibus, & singulis fidei negotijs, quæ obuenient, & in omnibus illis dependentibus, emergentibus, & cõnexis libere etiam vsque ad sententiam diffinitiuam inclusiuè procedere valeatis: super quibus omnibus & singulis, committimus vobis vniuersaliter ac plenariè vices nostras, quousque ad nos duxerimus reuocandas. In quorum omnium, & singulorum testimonium, sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum. Datum, &c.

Poterit etiam ipse Inquisitor, si voluerit, face-
re huiusmodi commissiones nõ per litteras suas, sui sigilli munimine roboratas, sed per publicum instrumentum, signo notarij clausum: In quo instrumento, vltra signum, si voluerit, notarij, poterit etiam facere apponi sigillum suum in pendentibus, & per consequens potest Inquisitor commissiones huiusmodi facere tripliciter. Primo, per litteras suas, eius sigilli munimine roboratas. Secundo, per publicum instrumentum, signo notarij signatum. Tertio, per publicum instrumentum, signo notarij consignatum, & appensione sigilli Inquisitoris communitum.

Aduertendum tamen, quod Commissarij debent esse multum circumspècti, & cauti, & præsertim qui non sunt practici, vt de capite suo nõ procedant, potissimè in arduis: sed habeant sibi aliquem bonum, & practicum aduocatû, cuius consilium in agendis frequenter requirant, & semper faciant posse suum, vt si commodè possint, maxime in dubijs, & arduis, quod ea quæ agunt, Inquisitori studeant intimare, & de assensu illius procedere, & absque eius consilio nulla tenus negotijs finem dare, alias possent leuiter oberrare: & tunc Inquisitor talem errorem non posset leuiter reparare, & esset sibi magis, quàm commissarijs imputandum, & possent processus per Romanam curiam reuocari in opprobrium, & iacturam officij inquisitionis, & verecundiæ, & ruborem Inquisitoris, quæ summopere in tam magno negotio sunt cauenda.

De sermone a generali habendo ab Inquisitore.

DVm prædicta taliter peraguntur, seu disponuntur, commissarijs iam institutis, vel nõ institutis, semper tamen facta fide ipsi ordinario, in cuius diocesi Inquisitor disponit suum officium exequi, de sua potestate, & delegatione sibi facta a domino nostro Papa, indicat sermonem generalem, non pro aliquo festo solemnibus, ne officium festi impediatur, & populus a suis Ecclesijs, pro tunc parochialibus, detrahatur, sed pro aliqua die Dominica communi, quæ non sit Quadragesima, vel Aduentus, mittendo ad clericos curatos omnium Ecclesiarum parochialium illius loci, vel ciuitatis, in quo sermonem decreuit facere generalem, litteras tenoris sequentis.

Forma litterarum inducendi sermonem generalem.

Rater N. ordinis Prædicatorû, &c. Dilecto tali, talis Ecclesiæ, ciuitatis talis, vel loci: Salutem, & mada-
tis nostris, immo verius Apostolicis, prompto animo obedire.

QVIA pp iniunctum nobis officium Inquisitionis hæreticæ prauitatis, intendimus Dominica die tali, & talis mēsis, in tali Ecclesia cathedrali prædicare vniuerso clero, & populo cõgregato, ac proponere aliqua super negotijs fidei, & de fide: capro

Inquisitorẽ uocare p̄t populum, & clerum.